



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Deum, homines, d[a]emonem, esse caussam belli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Neque alia de caussa gladium bellatorum mucronem Domini vocat S. Spiritus, quàm quia Dominus præcepit, vt contra hostes suos stringeretur. Ita etiam illi milites clamauerunt, *Gladius Domini, & Gedeonis.* Vtriusque enim erat; quia bellum tunc Gedeonis quidem manu, sed Domini auxilio atque autoritate gerebatur. In eundem sensum ait Abigail ad David: *Faciens Dominus faciet tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domini mi, tu præliaris.* Habemus igitur & dæmonem belli inceptorum, & hominem executorem, & Deum autorem; qui siue immittat siue permitrat bella quia iustus est, numquam debet accusari; sicut neque excusari dæmon, cuius voluntas semper est mala: homo autem instrui, quia vel iustè, vel iniustè potest arma vsurpare. Quæ si paulo deductiùs à me vultis audire, Exules, spero vos præsentis belli calamitates, non solum patienter, vt facitis, sed etiam cum consolatione lauros. Cùm itaque nutu alij, alij claris vocibus dicere me iussissent, in sequentem ingressus sum orationem.

VII.

Iudic. 7. 20.

1. Reg. 25.

C A P V T L V I.

Magno Dei beneficio cacodæmones prohiberi, ne plura bella suscitent, qua ne homines quidem debent temerè suscipere, etsi licita sint, qua iusta sunt.

Dabolo bellorum inceptorum velle concionari, est Æthiopem lauare. Præterquam enim quòd ille magna est belli tuba, Martemque, quoties, & vbiicumque potest, cantu suo accendere conatur, ita tamen insuper in malitia induruit, vt nullis possit argumentis emolliri. Semper sauit. Et, si penes ipsum foret, semper bella sereret. Sed ea est Dei bonitas, vt consilia illius plerumque dissipet, machinationesque eludat; neque, sine iustissimis caussis frenum illi subinde laxet. Quemadmodum enim olim *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Egypti,* ne noceret Tobia; ita Deus sæpe malos dæmones coërcet, ne bella aliaque mala suscitent. Et vidi *Angelum,* ait S. Ioannes, *descendentem de calo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpente antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligauit eum, per annos mille:*

I.

Tob. 8. 3.

Apoc. 20. 3.

M m m m 2 mille :